

crucis cum certis gratijs et indulgentijs consuetis cunctis christi fidelibus predicari, et prudenter attendens prosecutionem tanti negotij eiusdem passagij, maximis subuentionis auxilijs necessario indigere, omnium ecclesiasticorum reddituum et prouentuum decimam per vniuersas mundi partes, ordinibus militaribus, et certis alijs personis exceptis, duxit usque ad certi temporis spatium imponendam, certis soluendam terminis, et in dicte terre subsidium, aliasque contra infideles et inimicos catholice fidei conuertendam, et nonnulla alia huiusmodi negotium tangentia, pie ac salubriter ordinauit, prout in diuersis eiusdem Predecessoris inde confectis litteris uobis directis plenius continetur. Nos igitur, quod super predictis, per eundem Predecessorem, tam celebriter et pie quam laudabiliter et meritorie actum est, prosequi fauorabiliter et efficaciter intendentes, Fraternitati uestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus forma dictarum litterarum omnium prout explicatur in earum singulis quas tibi supradicte Archiepiscopo transmittimus per presentium portitores exacta diligentia obseruata, tu Archiepiscopo et uos Suffraganei procedatis super demandatis uobis per ipsas litteras iuxta continentiam quarumlibet earundem, ita quod preter eterne retributionis premium, apud nos et eandem sedem de obedientie uirtute commendari euidenter et rationabiliter ualeatis. Datum Auinione II kalendas Februarij Pontificatus nostri Anno Primo.

*På uppvecket:* De Cur. A. Reatin. — *På baksidan:* Archiepiscopo vpsalensi super passagio.  
Blybullan borta; segelgarnssnöret qvar.

3110.

1335 d. 2 Febr.

ÖDBJÖRN HUFVUD och hans hustru MARGARETA erkänna, att hälften af deras gods i Branthälla och Gårdungsnäs tillfallit Jakob i Alby såsom förstånden pant för deras skuld.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Omnibus presentes litteras inspecturis. ØDBERNUS dictus HOWUD ac VXOR sua MARGARETA salutem in domino sempiternam. Recognoscimus. et tenore presentium constare volumus euidenter dimidietatem prediorum nostrorum in opidis branthællum et gardhungsnæs. ad discretum virum jacobum in alby. ratione debitorum in quibus sibi tenebamur. que minime terminis prefixis reddere suffecimus fuisse secundum leges patrie deuolutam. et sibi probabiliter adiudicatam In cuius euidentiam sigilla nostra presentibus. duximus apponenda. Datum anno domini. M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup>. quinto in purificatione beate marie virginis.

Sigillen: N:o 1, Ödbjörns (bomärke); N:o 2, "S. Margarete Paters dot" (icke adligt), på remsor klippta ur brefvet.